

LEGATUS.

O P V S

CAROLI PASCHALII,
REGIS IN SACRO
CONSISTORIO CONSI-
LIARII, ET APUD
Rhætos Legati.

10

15474



AMSTELODAMI,

Apud Ludovicum Elzevirium,
MDCCLXV.

NOBILISSIMO VIRO,
HARALDO APPELBOMIO,
SERENISSIMÆ ET POTEN-
tissimæ Reginae, & Regni Sue-
diæ, in confœderatis Belgii Pro-
vinciis Commissario.

QUEM AD MODUM diu
est, *Vir Clarissime*, quòd me
dignum judicaveris, quem
beneficiis tuis honorares: ita
quoque diu est, quòd omnibus modis
ostendere desideraverim, me non indi-
gnum penitus censendum esse, quem ita
Tibi devinxisses. Cum igitur quoquo
semper modo studuerim, ut quampri-
mum grati animi mei pignus Tibi of-
ferrem, priusquam debita mea inve-
terascerent, solutionisque facultatem
non reciperent; fidem suam voluit in-
terponere hic, quem vides, LEGATUS,
qui testaretur, me, si non gratum, sal-
tem non ingratum, Tibi vivere. Opus
est CAROLI PASCHALII, Viri

(* 3) de

C A R O L I
P A S C H A L I I
L E G A T U S.

CAPUT PRIMUM,

Legatus definitur & eligitur.



LEGATUS est is, qui lectu mis-
suque publico publicum
negotium peregre agit, non
militari manu, sed eloquio.
& viribus ingenii. Cum e-
nim legare sonet mittere, *Varro*
dictumque sit à legendo, legatus utrumque *l. 4. de*
signat, & lectus & missus. Lectum accipio *ling. lat.*
non è medio sumtum, cujusmodi sunt ii qui
primùm publicis *muneribus* admoventur,
sed hinc excerptum, nempe è pluribus lectis
unum aliquem curatius enucleatum; eum
qui sit τῶν δεῖστων δεῖς & ἡ πρώτων ἀπὸ- *Plutaro*
τῶ. Optimorum optimus, & primorum pri- *Sylla*
mus seu princeps. E talibus constare Sena- *870.*
tum Areopagiticum, testis est apud Xeno- *Xenoph.*
phontem Socrates. Hippias ille sophista *memo-*
ventosâ linguâ magis quàm ulla solidâ eru- *rab. 3.*
ditione clarus, hinc se censerì vult, quod u- *lib. 3.*
nus ex omnibus, scilicet, primoribus eligitur *618. 40.*
in eas legationes quæ mittuntur ad civita- *Plato*
tes. Qui honos ille ipse est quem agnoscit *Hipp.*
Neoptolemus, cum hæc Philoctetæ dicit, *maj. 281.*